



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ephrem Syrvs. 1. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. EPHREM SYRVS. I. Februarij.

Fortè fortunâ EPHREM puer in buculam offendit foetu gravidam. Hanc ubi crebrâ lapidatione confecit, dominum insuper ejus obvium; & perquam amicè de bove rogitantem convitijs oneratum dimisit. Haud multò post cum eandem viam relegeret, deprehensus à tenebris, mapalibus vicinis successit; noctu cum lupi gregem diripuisent, pastores damnium furibus adscripserunt, & EPHREMVM velut proditorem vinctum ad Prætorum abduxerunt. Hic ille inter longam carceris mortem cum menses aliquot exegisset, à tutelari demùm Angelo, revocatâ in memoriam buculâ, edoctus est, errare quidem hominû subsellia posse, sed non DEI etiam tribunal; ut quod de vero crimine justissimas quandoque sub alienæ culpæ nomine pœnas exigat. Itaque cum exiturum se mundo vovisset, si carcere liceret, paulò post voti damnatus in eremum contendit; illuc cum protritit pudoris femina insidias castitati ejus tenderet, & innocentem animum ad infanda pelliceret; EPHREM piè callidus non difficilem se fore adsimulavit, si infrequenti foro facinus patrare animus ei esset. Erubuit quamvis impudens prostibulum, & an, inquit, in oculis omnium peccare non vereberis? Tum enimverò ille; & tu adeo frontem exues, & ubi ubi fueris, illum omnia vident cæli Oculum non exhorresces? Audivit, respuit, & oculum DEI deinceps semper in oculis suis mulier habuit. Utinam cum illâ nos etiam minus anguli peccarent. *Ex Metaph. & Baron.*

Si Deus tecum non est per gratiam, adest per vindictam.

1717

Etiam : sed va tibi si ita tecum est ; Imò va tibi, si ita tecum non est ; illi namq; irascitur Deus, quem peccantem non flagellat : nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat. S. Bern. in medit. c. 6.

S. BRIGITTA V. 8. Februarij

VNum sed maximum miraculum BRIGITTE tota vita fuit. Omnia cum in miseros erogaret, nihil tamen ex omnibus desiderabat. Sed neque post furta quidquam decedere visum est de grege, quam pascebat ; imò huic aper ferus accedere, & innoxius inter armenta agere. Vulpes quoque feritatem ponere iussa, ut eandem Rex poneret, qui homini, quòd aulæ delicias vulpem alteram imprudens occidisset, necem parabat. Iam aqua in cervisiam, lapis in salem versa, pauperum subsidio. Porrò oculos procorum ut virgo effugeret, id lacrymis à Deo impetravit, ut oculi fœdum effluerent. Sed sic Christi oculis illa placuit, in cuius manum cum inter velatas virgines conveniret ad Aram, Ara, quòd florem BRIGITTE laudaret, frondere visa, oculisque decor suus redire. Sed & aliis oculos restituit. Ex his virgini ita volenti cæcitatem denuò exoravit ; cum supplicium hæc crederet non videnda videre, diceretque tunc etiam cum videret, nihil se in toto orbe vidisse. Felicius linguam aliis solvit. Ita mutam ad eum diem usque virgunculam manu molliter prehensam tam diu rogavit, num Christo nubere vellet, dum velle se respondit, rectissime primum linguam usa. Cum deinde femina infans infantem edidisset, parentem Episcopum Broonem mentita ; linguam crucis signo à BRIGITTA signatam in patrocinium ipse